



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quibus competat interdictum Unde vi, seu recuperandæ possessionis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

T I T V L V S XIII.

DE RESTITVTIONE SPOLIATORVM.

Agitur potissimum hoc Titulo de interdico unde vi, sive de remedio recuperandæ possessionis, si ex rei immobilis possessione per vim, sive publicam & armatam, sive per privatam, quæ sine armis inferatur, dejectus fuerit. Sit ergo.

§. I.

Quibus competat interdictum Unde vi, seu recuperanda possessio?

In genere dici potest, non concedi hoc interdictum, nisi illi, qui vi dejectus, seu spoliatus fuit possessione rei immobilis, sive naturaliter, sive civiliter tantum rem illam, quæ soli est, sive iuste sive iniuste possederit. In specie verò primo si colonus fundi, vel conductor domus, ab altero vi occupata ejiciatur non ipsis, sed Domino interdictum Unde vi competit; cum enim interdictum possessori competat, hi autem non tam possidere, quam detinere rem illam dicuntur, quam nomine alterius tenent, consequenter non tam his, quam Domino talium rerum interdictum Unde vi competit, nisi colonus v. g. jam prius possessionem interverterit, & non nomine Domini, sed suo nomine fundum v. g. possederit. Quod si tamen ad longum tempus, ad decennium v. g. Conductor v. g. fundus locatus fuit, competit ei interdictum Unde vi, si tali postmodum fundo spoliatus fuit, sicuti & Emphyteuta, & Usufructuario, Usuario,

& cui habitatio concessa est, quia hi censentur esse in quasi possessione juris ut dominii utilis. Conceditur autem hoc interdictum Unde vi non tantum illi qui simpliciter & absolute possessione spoliati sunt, sed illis etiam, qui libere possidere non possunt, uti sumitur ex c. Pisanis 19. h. t. cum plene & integre restitui debeat quocumque modo spoliatus.

Secundò si alicui liber homo, aut Laico res Sacra sive Ecclesiastica, beneficium v. g. Ecclesiasticum, decimæ Spirituales &c. per vim eripiantur; locus non est interdicto Unde vi, cum hæc talia simpliciter non possideri possint, vel ab his possideri non possint, & consequenter interdictum possessorium non potest competere; nisi ex titulo aliquo suâ libertate ille exciderit, vel privilegio speciali Laico concessa sit spiritualium rerum possessio.

§. II.

Contra quem competat interdictum Unde vi, vel non, & quando expiret?

Non competit, nisi contra eum, qui alium possessione suâ deiecit, aut dejici mandavit (modò factum fuerit secutum) aut dejectionem talem suo nomine factam ratam habuit c. Cum ad sedem 15. h. t. Sicuti enim hi in generalis saltem spoliare censentur, ita contra eos etiam interdictum spoliatis com-